

pus vilem suppellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suae auctoritatem fide, & vite meritis quaerat. Quid consultius his rationibus status? cap. 7. D. 41. Inquit S. Bernardus (a): *Honoriſicabitur ministerium vestrum non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis edificiis; sed moribus ornatis, studiis spiritualibus, operibus bonis.* Synodus Cameracensis de ann. 1565, hæc monet (b): *Homini ecclesiastico, quacunque dignitate fulgeat, plus offert laudis frugalitas in mensa, quam sumptus: plus dedecoris exquisitus apparatus, quam simplex: plus molestiae longus accubitus, quam brevis, & naturæ sufficiens. Sit ergo cultus in mensa, & convivii, alibive in gravitate, & sobrietate, quam in pompa, & deliciis.*

TIT. XX.

De Hospitalibus, & locis Religiosis.

CAP. I.

De vario Hospitalium genere.

Corruptis sæculis passim officium hospitalitatis, quam S. Apostolus Episcopo commendat, per luxum & fastum Cleri expunctum videri poterat. Inquit S. Hieronymus (c): *Ante omnia hospitalitas ex ratione status futuro Episcopo denuntiatur. — Episcopus, si omnes non receperit, inhumanus est.*

2 Principio Episcopi partium fuit, pauperibus, viduis, infirmis, peregrinis, orphanis, senibusque prospicere, quibus per Diaconos partem oblationum deductis, quæ Clero & fabricæ impendenda fuerant, erogavit. Postquam Ecclesia status reditus nacta est, quarta egentibus cujuscumque generis assignata est, quibus, ut liberalius haberentur, extractæ sunt ad sublevamen Episcoporum peculiare domus, quas hospitalia vocamus, quasque rexerant Presbyteri, & Diaconi, Episcopis rationem administrationis reddituri. L. 32. C. de Episc. & Cler.

3 Hospitalium nonnulla privata devotione erecta sunt, quæ passim laicalia dicuntur, ut distinguantur ab illis, quæ jure religiosorum locorum censentur, quia auctoritate Episcopi

(a) S. Bern. ad Henr. Senon. c. 2. (b) Conc. Camer. de vit. & honest. Cler. c. 2. (c) S. Hier. in epist. ad Tit. c. 1.

copi ad illum pium usum ritu ecclesiastico deputata sunt. Arg. c. 10. de Privil. & ibi Panormit.

4 Canonici, & Monachi (a), quibus vi regulæ hospitalitas commendata est, cœperant extra clausuram ad portas Monasterii hospitalia construere, in quibus pauperum curam Monachus, Canonicusve gereret, Abbati rationem sui officii redditurus.

5 Labentibus sæculis quædam hospitalia sunt in titulum ecclesiasticum erecta, quæ inde solis Clericis sunt conferenda, sub obligatione impendendi proventus honestæ suæ sustentationi superfluos secundum leges foundationis in usum pauperum. Vetat Clemens I. hospitalia Clericis in titulum conferri, nisi in fundatione secus constitutum fuerit, seu per electionem sit de Rectore locis hujusmodi providendum. Clem. 2. de Relig. domib.

6 Nonnulla hospitalia aliquando per viam suppressionis fuerant Monasteriis, aut Capitulis unita, ita scilicet, ut ipsum hospitale una cum dote, ac proventibus sit erectum in Monasterium, aut Capitulum; quo casu ipsa hospitalia sunt quodammodo extincta, aut in Monasterium, seu Capitulum commutata. Sæpius tamen suppressio fit cum speciali onere hospitalitatem juxta primævam eorum fundationem exercendi: quod ex legibus incorporationis, & unionis est hauriendum.

7 Subinde hospitalia simplici unione Monasteriis tribuuntur, ut curam, & administrationem illius suscipiant, cum obligatione hospitalitatem exercendi, & proventus impendendi juxta leges ipsius fundationis. Præcipit Concilium Tridentinum inde (b), ut impositum onus, officiumque ex asse impleant.

8 Inde à sæculo XII. frequenter hospitalia fuere credita viris, mulieribusque religiosis in communi viventibus, ut ipsi infirmorum, & pauperum curam haberent; ita tamen, ut superintendentia, & primaria quasi administratio penes alios, sive laicos, sive Ecclesiasticos staret.

9 Præcipit Concilium Chalcedonense, ut Clerici in Ptochiis, & in Monasteriis, aut Martyriis constituti, sub potestate sint ejus, qui in ea civitate est Episcopus, secundum traditionem SS. Patrum, nec per præsumptionem recedant à suo Episcopo. Refert. c. 10. §. 1. XVIII. q. 2.

10 Leges civiles passim inspectioni Episcopi commendant administrationem hospitalium, ut eorum bona secundum legem Ep. Van-Esp. Tom. II. Gg gem

(a) Syn. Aquisgr. c. 141. (b) Trid. sess. 25. c. 2.

gem foundationis dispensentur per fideles ministros. Hinc ejus est, Præfectos hospitalium probare, & si infideles repererit, destituere. *L. 42. §. 9. L. 46. §. 3. C. de Episc. & Cler.*

11 Hoc exemplo monet S. Gregorius Januariarum (a), Episcopum Calaritanum, ut ab Administratoribus hospitalium rationes sui officii exigeret. *Ut tibi, inquit, singulis quibusque temporibus rationes suas Xenodochi, qui in eis sunt constituti, vel fuerunt, subtiliter reddant.*

12 Ad Ludovicum Regem ann. 858. è Carisiaco Palatio, quo convenerant, scribunt Episcopi (b): *Sed & Rectoribus Monasteriorum, & Xenodochiorum, id est, hospitalium præcipit, ut, sicut canonica docet auctoritas, & Capitula Avi, & Paris vestris præcipiunt, Episcopis propriis sint subiecti, & Monasteria, atque hospitalia sibi commissa ipsorum regant consilio; quoniam Episcopi paternam sollicitudinem eis secundum ministerium illorum studebunt impendere.*

13 Jure novo è Synodo Romana sub Eugenio II. de ann. 826. superest Decretum de Xenodochiis, & aliis similibus locis, ut per sollicitudinem Episcoporum, in quorum Diocesi existunt, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur. Refert. *c. 3. de Relig. dom.*

14 Invalescentibus novis exemptionibus Monasteriorum, & Religiosi, Clericique, qui administrationem hospitalium nacti sunt, privilegio exemptionis suum officium ab Ordinariorum jurisdictione liberare sategerunt, ut liberius de illorum proventibus disponere possent. *Clem. 2. d. 1.*

15 Ad exemplum Concilii Viennensis S. Synodus Tridentina (c) ad curam Episcoporum revocat, ut hospitalia quæcunque à suis Administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & diligenter gubernentur.

16 Et alibi (d): *Episcopi habeant jus visitandi hospitalia, aliaque pia loca, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta SS. Canonum statuta cognoscant, & exequantur; non obstantibus &c.* Ergo exemptionis privilegia ab hospitalibus sublata sunt:

17 Inquit Concilium (e): *Quodsi ex consuetudine, aut ex privilegio, aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis etiam adhibeatur Or-*

(a) S. Greg. lib. 3. ep. 24. (b) Labbæ. Tom. 8. Conc. col. 654.
(c) Conc. Trid. sess. 7. c. 15. (d) Sess. 22. c. 8. (e) Ibi c. 9.

dinarius; & aliter factæ liberationes dictis Administratoribus minime suffragentur.

18 Quid amplius? (a) *Si hi, qui administrationem hospitalis habent, etiamsi laici sint, ab Ordinario moniti hospitalitatis munus adhibitis omnibus, ad quæ tenentur, necessariis, re ipsa obire cessaverint; non solum per ecclesiasticas censuras, & alia juris remedia compelli ad id possint, sed etiam hospitalis ipsius administratione, curave perpetuo privari possint.*

19 Quantum tamen ad visitationem Episcopi, excepit S. Synodus hospitalia, quæ immediate sub ipsa Regum protectione consistunt; utpote ut sine eorum prævia licencia ab Episcopo non visitentur. Constat ex historia, jam pridem Xenodochia quædam, aliaque pia loca à Fundatoribus immediate protectioni Regiæ commendata fuisse. Synodus Regiatica ann. 850. (b) rationes hujus propositi exponit: *Hi, qui Monasteria, & Xenodochia sub defensione sacri Palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quod à nullo melius, quam à summis Potestatibus protegenda crediderint; & si ea, contra decreta institutorum personis, quibus non licet, dederint, ipsi coram Deo impugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerunt &c.*

20 Frequens tum & fuit, quod Fundatores sua hospitalia per suos hæredes administrari voluerint, ita tamen, ut ipsis invigilaret Episcopus. Inquit laudata Synodus (c): *Quæ autem sub defensione quidem sunt Ecclesiæ, sed juxta institutorum (id est Fundatorum) Decreta per hæredes, vel pertinentes, qui religiosam vitam duxerint, regi debent, procuret Episcopus, ut ab eis non negligantur; & si in aliquo malæ tractationis obnoxii reperiantur, ecclesiasticæ subiaceant disciplinæ.* Itaque jam pridem persuasum fuit, administrationem laicorum non excludere auctoritatem Episcopi, ut hospitalia visitet, & rationibus reddendis adsit, prout Synodus Tridentina supposuit, aut & instauravit.

21 Juxta Interpretes superest tamen & post Concilium Tridentinum, quod Episcopus vel à computo, vel à visitatione per leges foundationis, aut constitutiones locorum excludi queat, quia & Concilium Tridentinum (d) clausulam subjecit: *Nisi forte in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expresse secus cautum esset.*

22 Hospitalia, privata laicorum auctoritate erecta, quia

Gg 2

(a) Trid. sess. 23. c. 2. (b) Synod. Regiatic. c. 16.
(c) Ibi c. 15. (d) Trid. sess. 24. c. 9.

profana censetur, ab auctoritate Episcopi, quoad jus visitationis, tum jure communi, tum & Tridentino Decreto exempta relinquuntur, ut tamen computibus reddendis adesse possit, nisi secus in fundatione, aut ordinatione cautum sit.

23 Moribus locorum plerumque Magistratus sibi curam, & inspectionem hospitalium vindicat, ut Administratores laicos instituat, ab iisque rationes annuas exigat. Reliquum tamen est Episcopo, si Superiores laici negligentes fuerint in exactione rationum, aut correctione delinquentium, post monitionem eorum negligentiam supplere pro illa vice.

Cap. 3.
De Præfec.
Hospital.

24 Veteri more plerumque hospitalibus præerant Diaconi. Sic constat, veteres Pontifices Diaconias instruxisse certis proventibus, ut in iis, & ex iis per curam Diaconi Cardinalis pauperes, & ægri sustentarentur. Refertur de Gregorio III. quod Diaconiam SS. Sergii, & Bacchi instituerit, & concedens omnia, quæ in usum Diaconiae existunt, statuerit perpetuo tempore pro sustentatione pauperum in Diaconiae ministerio deservire.

25 S. Gregorius M. sæpius meminit Diaconorum, qui Xenodochiis præerant. Meminit alibi & Subdiaconi Xenodochio præpositi. In reliquis requirit S. Gregorius (a), ut, qui hospitalibus, aliisque piis locis præficiuntur, sive Clerici, sive laici, tales sint, qui vita, moribus, atque industria inveniantur esse dignissimi. Id tamen S. Pontifici in votis stetit, ut potius eligerentur Religiosi, quam sæculares.

26 Invalescente hospitalium diversitate, & multitudine frequenter accidit, quod Religiosis, in communi viventibus, hospitalia committerentur, ut tum bona, pauperum usibus deputata, summa fidelitate, & integritate administrarent, conservarentque, tum & infirmis, pauperibusque, insigni charitate, & mansuetudine inservirent, eisque corporaliter, & spiritualiter providerent. Meminit Clemens V. hospitalium militarium Ordinum, & aliorum Religiosorum Ordinum. *Clem. 2. de Relig. domib.*

27 Labentibus sæculis diversi Ordines Religiosi utriusque sexus inclaruere, qui curam, & ministerium diversorum infirmorum profitentur. Nostris moribus sæpe accidit, quod his Religiosis cura infirmorum, & directio hospitalis relinquatur, sed ita, ut computum iis reddant, qui vel secundum leges fundationis, vel consuetudines locorum, vel jus commune locis piis superintendant.

28 Reliquis piis locis, in quibus vel pupilli educantur,

vel

(a) S. Greg. lib. 3. epist. 24.

vel infantes recipiuntur, vel senes aluntur, vel peregrini, & hospites foventur, fere ubique præfici solent Administratores, & Rectores, laici, oportet inde & eos, fide pietate, vitæ innocentia, industria, integritate, & charitate esse probatos.

29 Est & in his piis domibus maximi momenti, ut, quæ ad salutem animarum pertinent, sedulo curentur. Jure communi hospitalia quoad curam animarum sunt subjecta ordinario Pastori loci. Inde hospitalia sub regimine laicorum constituta, passim ab Ecclesiis Parochialibus dependent, etsi interdum Oratoria, aut Sacella pro commoditate pauperum ibidem degentium, ad audiendam Missam, aut alia pia exercitia obeunda habeant annexa. Alia hospitalia vero Religiosorum Ordinum plerumque vel ex privilegio, vel longa consuetudine, vel alio speciali titulo habent peculiare Presbyteros, ut tum ipsis Religiosis, tum ipsis infirmis, pauperibusque Sacramenta administrent, aliaque pia exercitia præbeant. Præcipit Clemens V. utrimque veterem usum observari. *Clem. 2. de Relig. dom.*

30 Hospitalia igitur ab hominibus trium generum reguntur; utpote Administratoribus, Clericis, & Ministris. Ministri ægris, & pauperibus succurrunt, vel sumptibus hospitalium, vel & gratis. Recentiores nonnulli Ordines peculiare votum emittunt, infirmis pauperibus vel in nosocomiis, vel & domi assistendi. Clerici pauperes, & ægros docent, & Sacramentis beant, quorum stationes in antiquis hospitalibus desierunt in beneficia, in novis vero pro libitu amoveri possunt, ut electioni optimorum locus sit. Administratores bonorum curam gerunt.

31 Corruptis sæculis passim datum est vitio tum Clero sæculari, tum Regulari, quod hospitalium administrationem nacti Ecclesiastici pios proventus in usus proprios verterint. Præcipit inde Concilium Viennense, ut eorum administratio viris laicis, providis, bonis, & idoneis Patribusfamilias crederetur, qui, ad instar Tutorum, & Curatorum inventarium conficere, juramentum præstare, & annuas rationes Episcopo reddere tenerentur. *Clem. cit.*

32 In Gallia leges regis Ludovici XIV. (a) nonnullas alias cautelas adjecerunt. In Germania Jus Electorale Saxonicum ab œconomis, seu hospitalium quæstoribus etiam cautionem idoneam exigit. Hamburgi, & Hallæ præscriptum est, ut œconomus hospitalium improles sit, quia nonnunquam Liberorum cau-

Cap. 4.
De Admin.
Offic.

(a) Nov. 123. c. 23. Nov. 131. c. 15.

causa pauperibus bona, & proventus hospitalis intercipiuntur, aut minuuntur.

33 Inter recentiores corruptelas hospitalium & illud observatum est, quod aliquando numero, & salariis Ministrorum facultates hospitalium exhauriantur, ut fere nihil, vel justo minus ad usus pauperum, & infirmorum supersit. Querebatur ann. 1212. Synodus Parisiensis (a); Cum pauci sani possint multis infirmis competentius ministrare, indignum illud esse, ut numerus sanorum ibidem manentium excedat numerum infirmorum, aut peregrinorum. Hac occasione nonnullæ leges hospitalium tum numerum, tum & salaria Ministrorum definiunt. Inquit Synodus: *Bona etenim ibidem ex fidelium devotione oblata, non sunt sanorum usibus deputata, sed potius infirmorum.*

34 Si contingit, quod hospitalia cuidam certo generi infirmorum, aut pauperum ex lege foundationis sint destinata, quorum numerus, vel periculum nostra ætate evanuit, S. Synodus (b) arbitrio Episcopi reliquit, ut illos pios proventus in alium pium usum, qui eorum institutioni sit proximior, ac pro loco & tempore utilior, procul ab omni scrupulo convertat, ut Administratores ansam captare non possint, hospitalium illorum redditus, & possessiones in proprios usus vertendi, eo prætextu, quod hujus generis pauperes, & infirmi haud supersint. Consultius tamen est, ut hujusmodi commutationes, præsertim, si fundatio sit notabilis, fiant utriusque potestatis consensu. In Gallia exeunte sæculo XVII. Ordo S. Lazari plurimos amisit proventus, quibus Ludovicus XIV. quædam Nosocomia restituit, ac dotavit.

Cap. 5.
De Select.
Paup. &
Infirm.

35 Recidit ad officium Administratorum, ut veros pauperes, ac ægros à reliqua turba indignorum mendicabulorum, histrionum, nebulonumque secernant. Ait S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. (c) *In hoc pauperum delectu, non egestatis, inopiæque, solum, sed morum etiam, ac vitæ, probitatisque ratio habeatur.* Quippe fundatorum intentio spectat eis succurrere, qui probabili causa egent.

36 Queritur ann. 1536. Synodus Coloniensis (d), quod in quibusdam locis fit, ut neglectis miseris, ac inopibus, quibus hospitalia dedicata sunt, ex privato affectu Magistrorum, ac Magistrarum, qui hisce hospitalibus præsent, non modo validi, sed & quibus victus, & vestitus suppetit, recipiantur, tantum quod illic commodius, & in otio vivatur.

In-

(a) Synod. Paris. p. 3. c. 9. (b) Trid. sess. 25. c. 8.
(c) Conc. Medio. V. p. 3. Tit. quæ ad pia loc. pertin.
(d) Synod. Colon. p. 11. c. 6.

37 Inquit S. Synodus (a): *Sint autem Mendicantibus validis, utpote qui labore manuum comparare necessaria vitæ per vires, & valetudinem corporis possunt, non solum hospitalia clausa, sed & mendicare publice, ac ostiatim penitus interdictum. Et, qui secus agere comperti fuerint, arceantur, ac legalibus, nostrisque constitutionibus comprehensis, panis subdantur. Utilius enim esurienti panis tollitur, si de cibo securius justitiam negligat, quam eidem frangitur; ut seductus in justitiæ acquiescat.*

38 Vaga, & valida mendicitas nonnullorum hominum tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ per quam perniosa, & periculosa, olim habebatur. Inde Valentinianus junior legem edidit, qua hi inertes, & absque ulla debilitate miseri hominès urbe pelluntur. *L. un. de Mendic. valid.*

39 In Oriente Justinianus Quæstorem instituit, qui in peregrinos, causasque adventus inquireret. *Mendicantes vero, inquit, si hujus terræ, utpote indigenæ, fuerint, & corporibus quidem validis utuntur, vitæ autem eis decens non est occasio; hos non frustra esse pondus terræ permittere, sed tradere citius eos operum publicorum attinet artificibus ad ministerium.* Et infra: *læsos autem, vel læsas corpore, aut canitie graves, nos sine molestia esse jubemus in hac nostra civitate, aut pie agere volentibus adscribendos.* Refert. *Nov. 80. c. 5.*

40 Præcipiunt Capitularia (b) de mendicis, qui per patrias discurrunt, — unusquisque fidelium — suum pauperem de beneficio, aut de propria familia nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando.

41 Juxta Decretum Concilii Turonensis II. (c) *Unaquæque civitas pauperes, & egenos incolas alimentis congruentibus pascat; & tam vicani Presbyteri, quam cives unusquisque suum pauperem pascant: quo fiet, ut ipsi pauperes per alias civitates non vagentur.*

42 His exemplis & recentiores leges Politices vulgarem, indiscretioremque mendicitatem reprimunt, passim editis edictis, ut peregrini, nisi justam causam sui adventus per literas testimoniales exhibuerint, à finibus Provinciæ arceantur, aut in patriam relegentur. Indigenæ vero, si quidem viribus valent ad opera publica, justam mercedem laboris sui merituri adigantur; illis vero, qui vere ægri, aut pauperes sunt, in hospitalibus provideatur. En saluberrimum consilium: *Nuper, refert Zypæus, Alostenses omnes undique ad-*

(a) Synod. Col. c. 5. (b) Capit. Franc. lib. 1. c. 118. (c) Conc. Turon. II. c. 5.

advenas, validos mendicantes, fossis, quæ urbem cingunt, purgandis devoverunt; atque ita opus publicum minimo sumptu perfecerunt, vitia otiosorum minuerunt; quinimo id obtinuerunt, ut brevi eum locum mendicantes ut Charybdim vitarent, improbum laborem declinaturi.

43 Quantum ad disciplinam Ecclesiæ, decrevit S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. (a) ut, ubi mendicorum curæ ita consultum non est, ut certo quodam pio loco collecti, non mendicatum, victum sibi quærissent, Episcopi provideant, ut Parochi illos, qui intra fines suarum curarum sunt, in libro accurate, ordineque conscribant, exploraturi, quo & unde illi migrent? quod vitæ christianæ institutum teneant? an, & quantum fidei rudimenta teneant? an diebus festis saltem Missæ sacrificio, & devote intersint? an, & quoties per annum confiteantur? an constituto saltem tempore Paschatis sacram Communionem sumant? His addit: Parochi, quos doctrinæ christianæ rudes mendicantes vagos viderint, festis diebus stata hora ad ejusdem doctrinæ Scholas convenire diligenter curent, eosdemque instruant.

44 Reliquum officium est Administratorum, ut in hospitalibus honestati provideatur (b). Vetant Synodi: in hospitalibus piisque diversoriis, ubi hospitalitas exercetur, mares cum fœminis, etiam prætextu matrimonii ne versari permittantur. Hæc cautela multo magis in Orphanotrophiis, & Brephotrophiis, observanda, quia constat, nimis periculosam esse utriusque sexus familiarem conversationem.

45 Consulit S. Franciscus Salesius (c), ut inde singuli dormiant soli, aut nonnisi cum illis, quibus merito confidendi possit. Maximi momenti abhinc est, ut his puerorum receptaculis nonnisi morigeri, & pii Rectores, & Rectrices præficiantur.

46 Superest Concilii Tolosani de ann. 1590 (d). Decretum, ut infantes, ubi primum per ætatem licuerit, locis iis quibus commode, & per facultates fieri poterit, moribus optimis, artibusque, quæ sexum deceant, tam mares, quam fœminæ instruantur, donec eis Deo dante provisum fuerit.

Cap. 6.
De Confr.

47 Nostra ætate sat frequentes sunt & aliæ piæ societates per modum confraternitatum, quæ & ipsæ piis locis accensentur, quia religionis causa instituuntur, ut illi, qui tali Congregationi nomen dant, mutuo exemplo, & zelo ad quædam singularia pietatis opera excitentur. In Concilio

(a) Conc. Mediol. IV. p. 3. tit. quæ ad pia. loc.

(b) Concil. Mediol. I. de piæ. loc. administr. (c) S. Franc. Sal. lib. 1. ep. 5.

(d) Conc. Tolos. p. 3. c. 6.

lio Basileensi Ægidius Carlerius, Decanus Cameracensis, hæc verba, ut refutaret errores Husitarum, fecit. Non sunt de se illicitæ Confraternitates ipsæ; imo honestatis titulum habent, & parere possunt fructum. Nam Frater, qui juvatur à fratre, est quasi civitas firma.

48 Harum quædam Confraternitatum sunt penitus laicales, id est, quæ laicorum directioni subsunt; quibus & aliquando peculiaria sacella sunt ad divina officia Confraternitatum per Presbyteros à Magistris harum piarum sodalitatatum assignanda peragenda. Nonnunquam hæc sacella, & altaria, ad eum usum destinata in Ecclesiis Parochialibus, aut Regularium visuntur, quorum totalis directio & administratio residet penes laicos.

49 Aliæ sunt, ad quas quidem laici, veluti sodales, adscribuntur, ita tamen, ut earum omnimoda directio sit penes Ecclesiasticos, sive sæculares, sive Regulares. Harum, & illarum piarum Societatum salubris scopus est, ut fideles per particulares quædam actiones faciliorem sibi salutis viam concilient.

50 Inde recentioribus constitutionibus in tanta diversitate Confraternitatum id cautum est, ut juxta Concilii Arelatensis (a) de ann. 1234. Decretum, nulla fiat Confraternitas laicorum sine auctoritate, & consensu Episcopi Diocæsani.

51 Quippe Episcopi est, examinare statuta, & privilegia Confraternitatum, ut nihil contineant, quod publicis, & necessariis christianis officiis adversetur, vel ipsis Sodalibus periculo salutis esse queat. Concilium Senonense de ann. 1524. vetat (b), ne deinceps juramenta super observatione statutorum Confraternitatum aut præstentur, aut exigantur.

52 S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. cavet (c), ut, quo tempore in Basilica Cathedrali, Ecclesiæ Parochiali officium celebratur, tunc ne in ullis Confratriæ, Scholæ Oratorii civitatis, aut locis illius ab eisdem Confratribus recitari liceat officia, sed vel ante, vel post recitentur.

53 Decreto Concilii Tridentini Episcopi etiam tanquam S. Ap. Delegati, habent jus visitandi Confraternitates laicorum, etiam, quas Scholas, sive quocunque alio nomine vocant, ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt; etiamsi in Ecclesiis Regularium exemptorum illæ Scholæ, Confraternitatesque, earumque Capellæ erectæ sint, exercenturque, repræ-

Ep. Van-Espen T. II.

Hh

sis

(a) Conc. Arel. c. 9. (b) Conc. Senon. c. 30.

(c) Conc. Mediol. IV. tit. 18.

sis abusibus, quos aut superstitio, aut ignorantia, turpis quaestus causa novellis devotiunculis saepius aspergit.

* 54 Pastorum zelo quam maxime dignum est, populum ad solidiora Christianae pietatis exercitia, cujuscunque sodalitiis titulo instruere & instituere? S. Pius V. (a) pro educatione, & instructione christiana puerorum praecipit Ordinariis, ut in suis respective Diocesibus, tot Societates, seu Confraternitates, quot ad hoc SS. opus exercendum opportuna videbuntur, auctoritate Apostolica erigant, & instituant. S. Carolus inter reliquas unam sodalitatem, quae odiis, & dissidiis componendis invigilaret, in Concilio Mediolansi IV. (b) proposuit. Ut odiis, inquit, dissidis, atque inimicitiis occurratur, rursusque paci, cujus, fideles imprimi amantissimi esse debent, tot sanctissimis vinculis inter se juncti, consulatur: id praeter caetera Episcopi paterna sollicitudine curent in sua urbe, ac Diocesi aliquam hominum, qui morum gravitate, spectata integritate, & auctoritate praestantiores sunt, confratrem — instituere: cujus officium sit, discordiae flammis restinguere, dissidia amovere, concordiam inire, pacemque inter omnes conciliare. Quid salubrius est his (c), aliisque spiritualis, corporalisque misericordiae christianis officiis, utpote quibus infallibile aeternae electionis praesagium suffragatur? Si consolentur afflictos, pascant egenos, vestiant nudos, redimant captivos, suscipiant peregrinos, si errantibus viam salutis ostendant, desperatis spem veniae consequenda promittant — quis sic erit alienus a fide, ut dubitet, tales contemplativae virtutis esse participes.

T I T. X X I.

De Sepulturis.

C A P U T I.

De Exequiis.

I nter christianae misericordiae officia recensetur & sepultura defunctorum. Ait S. Augustinus (d): Ipse quoque Dominus, die tertio resurrecturus, religiosae mulieris bonum opus praedicat, praedicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum se-

(a) S. Pius V. Bull. 137. in Bull. Rom. (b) Conc. Mediol. IV. p. IV. tit. 12.
(c) Int. ep. S. Prosp. de vita contempl. l. I. c. 25. (d) S. Aug. de civit. Dei lib. I. c. 13.

pehendendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter, atque honorifice tegendum, sepeliendumque curarunt.

2 Sunt sepulturae christianae diversi ritus, quorum nonnullos a Gentilibus, alios a Judaeis missa superstitione, aut vanitate, adoptavit Ecclesia. Nec id vitio est; quippe juxta S. Augustinum (a): Nos non propter superstitionem profanorum debemus — fugere, si quid inde utile ad intelligendas scripturas rapere potuerimus.

3 Quum veteri more corpora defunctorum passim patenter deferrentur ad sepulchra; componere ea ad modestiam placuit. Hinc mox ab obitu oclusi sunt oculi, compressa labia, corpus ablutum, & decenti vestitu obvolutum. Supersunt haec plus, minusque & hodie, etsi corpora plerumque loculis operiuntur. Praecipit Rituale Romanum Pauli V. ut quisque Clericus sacris vestibus sui Ordinis amictus tumulo tradatur, quod nostra aetate, nostrisque Provinciis quoad Episcopos, Abbates, & alibi quoad Sacerdotes observatur. In reliquis successit, quod oculus velo nunc nigro, idque magis, vel minus pretioso pro defunctorum conditione, aliquando appositis insignibus, tectus exponatur, exporteturque.

4 Antiquitus sat vulgare fuerat, quod corpora sub vesperam efferrentur. Hac occasione consuetum fuit sepulturis faces, & cereos adhibere. In veteribus monumentis frequens fit mentio luminum, & lampadum in sepulturis tum Gentilium, tum Judaeorum, tum & maxime Christianorum, utpote in signum laetitiae. Ait S. Chrysostomus (b): Dic mihi, quid sibi volunt istae fulgentes lampades. An non defunctos tanquam Athletas deducimus?

5 Ad signum laetitiae spectat & cantus ecclesiasticus in sepulturis Christianis. Et quidem sat diu superfuit, quod in exequiis defunctorum Alleluja audiretur. Inquit S. Chrysostomus (c): Quid etiam Hymni? An non Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui excessit, coronaverit? Quod a laboribus liberaverit? Quod abjecto metu eum apud se habeat? Nonne ideo sunt Hymni? Nonne ideo Psalmodiae? Haec omnia sunt latantium.

6 Gentilis luctus alienus est a funeribus Christianorum, eum sciamus, eos non amitti, sed praemitti, recedentes praecedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent; desiderare eos debere, non plangi: nec accipiendas hic esse atras vestres,

Hh 2

quan-

(a) Lib. 2. de Doctr. Christ. (b) S. Chrys. hom. 4. in ep. ad Hebr.
(c) Ibi.